M. AVRELII CASSIODORI SENATORIS V. C.

OPERA OMNIA QVÆ EXTANT, EX fide manuſcr. auctiora & locupletiora.

COLLATIS ETIAM EXEMPLARIBVS TAM VETERIBVS, QVAM RECENS EDITIS.

CVM INDICE RERVM ET SENTENTIARVM SCITV NOTATÚQVE DIGNIORVM.

Pagina octaua quæ hoc toto volumine contineantur vice Indicis deſignabit.

GENEVÆ,

Sumptibus PETRI CHOVET.

Anno MDCL.

1a
29566
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

AMPLISSIMO VIRO DOM.
Hug. Picardeto Chriſtianiſsimi Regis Galliarum ſacri conſiſtorij Conſiliario, & in ſupremo Burgundiæ Senatu fiſci Procuratori.

PETRVS BROSSEVS S.

NOTAS meas in Caſſiodorum, cùm edere apud animum ſtatuiſſem, Vir ampliſſimè, tui nominis auſpicijs id mihi facere viſum. Cauſæ quippe in promptu multæ & magnæ, Virtutes tuæ, Eruditio, benignitas in literatos, necnon etiam beneficia accepta, Virtutes inquam tam publicas quàm priuatas: Eruditio res omnibus ſatis nota, humanitas, qua ratione animos omnium tibi deuinxiſti, tanta deinde in me contuliſti beneficia, nouáque in dies auges, vt nullo vnquam tempore verbis gratias agere poſſim. Æquum igitur erat vt tibi publicè gratias agerem, & meam in te obſeruantiam omnibus prædicarem, atque iſtud qualecunque amoris erga te, virtutíſque tuæ publicum teſtimonium exhiberem. Scio enim nominis tui ſplendorem, authoritatémque apud probos eruditóſque gratiam haud mediocrem conciliaturum, inuidos verò & maleuolos ſeu malignos quoſdam veteratores (quorum nimis ferax hoc ſeculum) compreſſurum. Etſi autem non ignorem Doctiſſim. Forn. præclaram operam & induſtriam in hoc authore illuſtrando poſuiſſe, quoniam tamen videbam hujus Caſſiodori eam eſſe præſtan-

MAGNI AVRELII CASSIODORI SENATORIS,

V.C. & inluſtris, exquæſtoris ſacri Palatij, exconſulis ordinarij, exmagiſtri offic. præfect. præt. atque Patritij.

VARIARVM LIBER PRIMVS.

PRÆFATIO.

CVM diſertorum mihi gratiam, aut communibus fabulis, aut gratuitis beneficijs, nullis tamen veris meritis collegiſſem, dicta mea, quæ in honoribus poſitus ſæpè pro explicanda negotiorum qualitate profuderam, in vnum corpus redigere ſuadebant: vt ventura poſteritas, & laborum noſtrorum moleſtias, quas pro generalitatis commodo ſuſtinebam, & ** ſynceræ conſcientiæ † inemptam dignoſceret actionem: dicebam dilectionem ipſorum mihi potiùs fore contrariam: vt quod † modò propter deſideria ſupplicantium putabatur acceptum, poſtea legentibus videretur inſipidum. Addebam, debere illos Flacci dicta recolere: qui monet, quid periculi vox præcipitata poſſit incurrere. Reſpondendi celeritatem cunctos videtis exigere, & creditis me * impœnitenda proferre. Dictio ſemper agreſtis eſt, quæ aut ſenſibus electis per moram non comitur, aut verborum minimè proprietatibus explicatur. Loqui nobis communiter datum eſt: ſolus ornatus eſt, qui diſcernit indoctos. Nonus annus ad ſcribendum relaxatur auctoribus: mihi nec horarum momenta præſtantur: mox vt cœpero, clamoribus imminetur: ** feſtinatione nimia ** ingeritur, ne cautiùs cœpta peragantur. Alter nos frequentia inuidioſæ interpellationis exaggerat: alter miſeriarum mole caſtigat: ** alij furioſa ** contentionum ſeditione circumdant. Inter hæc cur ** requiritis dictationis eloquium, vbi vix copiam poſſimus habere ſermonum? Ipſas quoque noctes inexplicabilis cura circumuolat, ne ** deſit alimonia ciuitatibus, quæ ſupra omnia populi plus requirunt,

Cauſa ſcribendi.
** al. non ſincera. FOR.
† ineptam.
† mihi.
FOR. 1 Epiſt. 15.
Celeritatis in ſcribendo incommoda.
* impœn. poſſe præferre.
Hora. in arte poet.
* & feſtinatione.
** geritur.
** alter f. intentionum ſeditione circundat.
** Vet. *intentionum.*
** requiritur
** deſint.